PROGRAMMA
QUO
RECTOR
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS
BERNHARDUS BARNSTORFF
MED. D. PR. PUB. ET POLIATER
AD
NATALEM DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI FILII DEI,
QVO HOMO FACTUS,

Omnibus cujusq; ordinis civibus Academicis piè ſanctèq; apud animum recolendum & celebrandum, *eâ, qvâ fas eſt, officii pietate, & humanitate ſeriò proponit & præſcribit*

Roſtochii Typis JOH. WEPPLINGII, Univ. Typogr.

QVemadmodum in nullâ re majorem animi curam & conſiderationem ponendam eſſe exiſtimandum eſt, quàm in cognitione JESU CHRISTI, ita qvævis etiam poſtponenda ſunt illi meditationi, qvâ Chriſti conceptionem & natalem diem piè animô revolvimus & ſanctè recolimus. Tantum hic myſterium & amoris DEI & ſalutis noſtræ eſt reconditum, ut illud nullâ cogitatione aſſequi, nullâ ſicut fas eſt, animi æſtimatione penſitare pariter & venerari poſſit unqvàm creatura humana. Quid ergô præſtantius ſive cogitari ſive ad ſalutem noſtram converti poterit? & qvid freqventius memoriæ obverſari debet pariter & oculis, qvàm incarnationis, ut Patrum vocabulô utar, hoc negotium? In quô enim ſapientiæ theſauri latent omnes, ut inde ad nos reſplendeant veritatis cœleſtis radii, & in qvô juſtitiæ fundamentum noſtræ unicè ponitur, in illô vires etiam ingenii ſemper omnes exercere, ſummâqve delectatione verſari qvotidiè oportet. At verò quid aliud in medium adduci poteſt, qvod iſta in ſe omnia infinitô modô complectatur, quàm ἐνσάρκωσις ipſius FILII DEI? inquirant alii non minus ſollicitè quàm circumſpectè in diem præcisè illam, quæ prima Salvatorem mundi vidit! delectentur ſtabulô, locô illô abjectiſſimo, quô rerum univerſarum DOMINUS ſe ipſum in *Mariæ* ſinum imiſit infantis more tractandum! Contemplentur præſepe, cunas illas nullius pretii, quibus ſe contineri & involvi paſſus eſt DOMINUS gloriæ omnis & infinitæ magnitudinis! Nos gloriam ipſam propius jam accedamus, non conjecturis, ſed rerum pondere veritatem æſtimantes. Quicquid enim reliquis ineſt circumſtantiis, qvæ extra ſcripturam ſpectantur, illud animum ſciendi cupidum neque ſatiare neque ad majorem ſive fiduciam ſive virtutẽ accendere aptũ eſt. Sufficiat illum diem reverâ illuxiſſe gratiæ omnibus, quô de FILIO DEI Homine factô Eccleſiæ ubiq; laudibꝰ Dei hilariter reſonant. Ea hujus veritatis vis eſt, ut, quantocunq; etiam conatu in eam impetum fecerit diabolus, non tamen ſubvertere illam valuerit unquam. Fœdaverint Seculum I portentoſi homines Simon ille Magus cum Menandro ſuo viperinæ prorſus indolis, & Cerinthus, dum hic divinam CHRISTI naturam, illi humanam impugnaſſe feruntur! Veritas tamen caput extulit. Corruperint ſeculum II religionis hoſtes maledicentiſſimi Saturninus, Baſilides, Cerdo aliiqve, qvi humanitatem Chriſti ſive planè deſtructum ſive temeratum ivere! Vicit tamen veritas. Turbaverint Seculum III ſive Sabellius & Paulus Samoſatenus, ſive Manichæi, qvi veram car-

nem

WELLCOME LIBRARY INSTITUTE
58707 [40]

nem CHRISTI oppugnarunt! Superior tamen evaſit veritas. Concuſſerint orbē ferè Chriſtianum Seculô IV Arius & Photinus divinæ CHRISTI gloriæ hoſtes diabolico planè furore acti! Eluctabatur tamen veritas. Fuerint Secul. V Eccleſiæ turbatores Neſtorius & Eutyches, qvorum ille unitatem perſonæ diſſolvere, hic naturas in CHRISTO confundere voluit! Non tamen eſt oppreſſa veritas. Propagaverint Sec. VI Eutychis errorem Agnoëtæ, humanam Chriſti naturam à divina eſſe abſumtam credentes, indeqve in divinam CHRISTI naturam etiam ignorantiam qvandam redundaſſe ſomniantes, ut ſimpliciter Chriſtus qvædam ignoraret! Integra tamen remanſit veritas. Et qvanqvam monſtrum illud hominis famoſum Mahomed Secul. VII id conſilii ſuſceperat, ut, qvantum in ipſo eſſet, planè converſa religionis facies appareret, negatâ ſcil. omni fidei veritate de Chriſto, qvanqvam etiam Monotheletæ ejusdem ſeculi homines humanam Chriſti naturam in eô aggreſſi ſunt, ut ipſi humanam voluntatem adimerent, omnem tamen impetum ita maſculè ſuſtinuit veritas pariter & propullavit, ut adhuc tropæa ſua ponat feliciſſimê. Neqve Felix Urgelitanus Sec. VIII ad montes Piræneos Epiſcopus cum Elipando Toletano Archiepiſcopo magnos facere potuit progreſſus in eâ opinione, qvod Chriſtus ſecundum carnem ſit FILIUS DEI adoptivus, dum primò in Synodo Ratisbonenſi mox Francofurtenſi ipſi ita obviam proceſſum, ut ne ad conandum quidem quicquam virium haberet reliqvum. Videatur etiam Secul. IX Bertramus Presbyter ac Monachus Corbergenſis juſtô latius progreſſus eòque prolapſus eſſe, ut aliam Carnem in S. Cœna, aliam in Cœlo eſſe doceret, facilè tamen ſopita eſt & hæc controverſia. Luctentur tandem, cum ſecula, quæ â nonô uſque eò intercedunt, non videantur amplius hâc in parte turbulenta fuiſſe, luctentur, inquam, Secula XVI & quod eſt noſtrum, XVII cum infenſiſſimis veritatis hujus hoſtibus, qui catervatim velut eò concurrunt, ut Eccleſiæ CHRISTI ægrè fiat, nullam tamen aliam quàm propriæ ſalutis jacturam faciunt homines illi peſſimi. Radices enim egit veritas hæc noſtra nimis altas in divina virtute & ſapientiâ, ut nulla vis, nulla malorum injuria eam aut labefactare qveat aut evellere. Audiamus jam dictum ipſius SPIRITUS SANCTI, quod immobilis fundamenti loco ponere atqve præſenti meditationi de natali Salvatoris noſtri paucis proponere decretum eſt. Ita verò illud Ebr. II. 14: *Poſtquam pueri participes ſunt Carnis & ſanguinis, ipſe FILIUS DEI pariter particeps factus*

eſt eorundem, ut per mortem aboleret eum, qui mortis imperium habet, hoc eſt, diabolum. Qvid magnificentius in humani generis ſolatium, qvid evidentius, qvid firmius dici poſſet? Non eum, qvi hic Homo factus eſt, creaturam appellabis! ipſe *DOMINUS* de cœlo, ipſe FILIUS DEI unigenitus, reſplendens illa gloria & character perſonæ PATRIS Ebr. I. 3. carnem aſſumſit humanam. In eo enim totus eſt Apoſtolus S. per univerſam hanc Epiſtolam, ut JESU CHRISTI tanqvam Autoris & Mediatoris N. T. præſtantiam evincat atque magno verborum apparatu celebret omnium eminentiſſimam & verè divinam. Ipſe namqve *FILIUS* eſt æternus, qvem ultimis DEUS miſit ad populum temporibus Ebr. II. 1. ſq. ut Evangelium ipſe ſuum primus in N. T. prædicaret Ebr. II. 3. & Angelis & Moſe & ſacerdotibus omnibus in V. T. infinitè ſuperior. Is ergò Homo factus, cujus magnitudo infinita, & cujus gloria æterna omnem creaturæ captum, omnemque æſtimationem immensè excedit. Rem hanc omni attentione ſtupendâque admiratione dignam eſſe quis non pleno ore confitebitur? Non enim FILIUS DEI nudè tantum ſuſtentat naturam, quæ eſt humana, ſed ita eam ſuſcepit, ita eam in ſe habet, ut ipſius carnis & ſanguinis fuerit factus ipſe particeps. Et quid aliud inde colligitur, quâm qvod divinam ſuam hypoſtaſin verè & reapſe humanæ Deus communicaverit naturæ? Annon pueri carnem & ſanguinem ita participant, ut res illæ in illorum hypoſtaſi ſubſiſtant? Annon caro & ſanguis ſunt de eſſentia perſonæ in pueris? ita firmæ hæc ſunt & communi experientiâ comprobata, ut, qvi ſanus eſt, non poſſit ea in dubium vocare. At verò ipſe FILIUS DEI παραπλησίως i. e. eadē planè ratione & propinqvitate, qvâ pueri, carnis jam & ſanguinis ſocietatem apud ſe iniit: qvare non etiam humana natura in ipſius perſonâ ſubſiſtat? Neqve tamen carnem & ſanguinem hîc ita accipias, ut infirmitatem aliqvam notent: ita enim neque pueri carnem & ſanguinem circumferunt, ut id propter neceſſariò per ſe ſint fragiles & infirmi, neqve ſi ita eſſet, gloriam JESU CHRISTI ceu Hominis videre potuiſſent Apoſtoli ſicut ejus, qvi eſt ipſe Filius DEI Joh. I. 14. Verùm ſicut pueri, dum carnem & ſanguinem nacti ſunt, veram hominis naturam in ſe demonſtrant, veras etiam ejus proprietates & ſubeunt & exercent, ita Filius etiam DEI dum carnem verè humanam aſſumſit, Homo factus eſt, & Hominis conditionem ſeqvi haud recuſavit. Et qvemadmodum pueri cum carne & ſanguine ſibi conjunctam habent animam etiam rationalem, ut ſine illâ neqve caro neqve ſangvis qvicqvam efficere poſſe intelli-

intelligantur; ita non ſolùm carnem, ſed illam, qvæ cum anima rationali prædita & animata, in perſonam ſuam aſcivit FILIUS DEI glorioſiſſimus. Nominantur verò caro & ſangvis ideò in pueris, qvia res ſunt tales, quæ naturâ ſuâ in ſenſus incurrunt, qvibus homines à primis annis ſunt aſſveti qvàm familiariſſimè. Si mentio tantùm facta fuiſſet animæ rationalis; qvæ eſt ſpiritualis naturæ à ſenſibus longè recedens, non tàm apertè de humanæ naturæ veritate conſtaret, neqve eſſet, qvô pueros à pueris per hanc vitam diſcerneres, cum figura, qvæ dat ſenſibus jam rerum diſcrimen, non ſit animæ ſed corporis, Caro itaqve & ſanguis qvemadmodum in viventibus pueris præſentem animam rationalem, unde vitam, vigorem, motum accipiunt, neceſſariò teſtantur & arguunt, ita præcipuam etiam humanæ naturæ habent ſignificationem. Apoſtolus ergò dum in eô occupatur, ut ab unâ radice deſcendere debuiſſe & Redemptorem & redemtos v. 11. oſtenderet; FILIUM etiam DEI Hominem naſci voluiſſe v. 14. perſpicuè ſatis & firmiſſimè concludit. O qvantùm hoc eſt myſterium! qvàm nullæ planè hîc ſunt vires rationis noſtræ! Qvàm perversè agunt illi, qvi rem hanc infinitæ ſapientiæ & profunditatis rationis tamen ſuæ tàm cæcæ tam delirantis decempedâ metiri ſatagunt, ut modô ad opus DEI inutiles magis reddantur! Qvæ gloria humanæ naturæ amplior accedere potuiſſet à divinâ gratiâ, qvàm qvod in ipſa perſonâ ſuâ divinâ ei ſubſiſtendi modum FILIUS DEI conceſſerit? Hanc, qvæ in nos etiam ipſos redundat, ampliare excellentiam nobis conveniret potius, quàm cancellis qvibusdam arctè admodum circumſcribere. Neque enim ulla cauſa eſt, qvare dicto rationis magis qvàm Scripturæ hîc audientes eſſe velimus. Fugiat atqve neget communicationem ſui aliàs perſona, ceu propria illa vis ſubſiſtendi! indè tamen non natura, qvæ eſt alterius conditionis, ſed perſona modò altera excluditur. Annon etiam, quæ ſunt diverſæ prorſus naturæ anima & corpus in unum hominem coëunt qvàm conjunctiſſimè? Qvis hîc rem ratione ſuâ omnem expedire in promptu habet? Confirmatur inde potius myſterium illud carnis Chriſti in immenſum modum ſublime rem DEO eſſe admodum poſſibilem. Dumqve natura eſt res ſuppoſiti, non ſuppoſitum ipſum. eſt res perſonæ, non perſona ipſa, eò minus ſive integritas ſive veritas humanæ naturæ vel qvicqvam imminuta eſſe intelligitur ex eô, qvod hypoſtaſi ſubſiſtat alienâ; Neqve actiones inde ſtatim humanæ naturæ propriæ negantur, aut infirmantur, cum natura illa non determinetur in

 agendo

agendâ aliundè, ſed in perſonâ modò τῦ λόγυ ſubſiſtat, remanente etiam humanâ ſemper voluntate. Gratulandum potiùs univerſo generi humano, qvod actiones & paſſiones humanæ CHRISTI naturæ nō ſint merè humani ſuppoſiti, ſed FILII DEI in aſſumtâ carne. Ita ſcilicet mirabiliter ſibi intimè Filius DEI conjunxit carnem humanam, ut ipſe caro factus Joh. 1. 14. Ita propinqvè admodum nobis per omnia ſimilis factus eſt Chriſtus, ut DEus ipſe in carne manifeſtatus inde celebretur manifeſtiſſimè. Cæcum oportet eſſe illum, qvi non inde in unâ eademqve perſonâ etiam naturam divinam cum humanâ proximè & immediatè conjunctam eſſe intelligat. Qvid enim DEUS aliud eſt, qvàm natura divina ſubſiſtens? Neqve tamen Deus ita factus eſt caro, ut μεταμόρφωσιν per qvàm abſurdè ſtatuas, ſicut neqve anima corpus eſſe poteſt, licet res illæ immediatè ſibi invicem conjungantur, & anima corpus aſſumſerit. Tanta vis amoris DEI erga miſerum genus eſt humanum, tantus ardor & abundantia, ut amiciſſimo ipſam carnem noſtram amplexu in perſonam ſuam ſuſceperit. Qvis noſtrûm jam pleno pectore non tripudiet? Qvis hanc gratiæ divinæ cogitationem non indeſinenter apud ſe ſubeat, foveat, & majorem reddat? Emoriamur potius millies, qvàm ut gloriæ, qvæ verè divina, verè infinita etiam humanæ Chriſti naturæ tributa eſt, vel qvicqvā detrahi patiamur. Malè ſibi perſvaſi ſunt admodum illi, qvi nudum Chriſtum ſibi eſſe volunt ſine gloriâ, ſine vitâ, ſine virtute æternâ in humanam ejus naturam redundante. Annon qvi carnem & ſangvinem circumferunt, etiam id apud ſe ſentiunt pueri, qvod, dum anima & corpus vinculô amicitiæ ſibi ſunt copulata propinqviſſimô, etiam ab animâ vitam, vigorem, motum, vimqve corpus omnem accipiat? Annon dignitatem virtutemqve ſpiritus ſui omnem in corpus ſimul confert anima? Et Chriſtus ita in communionem carnis nobiſcum veniſſet, ut nec gloriæ divinæ humana natura particeps fieret? Qvis hujus rei ſibi fidem perſvaderet? Poteſtne id tribui animæ, ut corpus facta dicatur, cum qvo vinculum ipſi intercedit arctiſſimum atqve planè intimum? At verò DEUM eſſe carnem factum legis Joh. 1. 14. Oportet ergô talem hîc intervenire unionem, qvâ nec major, cui nec ſimilis unqvam eſſe poſſit in hâc rerum univerſitate. Qvalis autem foret illa unio, ſi nullam gloriam æternam, nullam virtutem infinitam ſibi caro haberet communicatam? Carni ergò dum *FILIUS* DEI ſe ita proprium fecit, ut eam, tanqvam in perſonâ ſuâ ſubſiſtentem, non amplius à ſe alienam agnoſcat, ſed propriam ſibi, palàm

làm

jàm eſt, Majeſtatem etiam omnem verè divinam in carnem ſuā conceſſiſſe. Eum ſcilicet agnoſcere oportet mundi Salvatorem, qui etiam tanqvam Homo eſt cœlo ſublimior, gloriâq; DEO planè fulget æqvali. Adeò ſapientiſſimè nobis divina gratia proſpexit, ut & juſtitiæ divinæ & ſaluti noſtræ per omnes æqvitatis partes ſufficientiſſimè conſuleretur! Non enim ſui ſe causâ eô demiſit FILIUS DEI, ut carnem in ſe reciperet, ſed ut nos haberemus abundantiſſimè, unde calamitatem noſtrā ſolaremur & unde in æternum eſſet nobis gloriandi materia. Venit namq; Filius Dei, *ut per mortem aboleret eum, qvi poteſtatem habet mortis h. e. diabolum.* Fraudibus proh dolor! diaboli qvemadmodum miſerè erat circumventum genus humanū & ad lapſum pleno tandem impetu proruerat, ita poteſtate etiam diabolicâ ad omnem mali voluntatem continebatur pariter & impellebatur. Diabolus enim tanqvam fons & origo omnis mali in eô etiam principatum obtinet, ut ſit omnium peſſimus Joh. VIII. 44. inq; ſceleris ſui ſocios, qvi viribus ipſi ſunt inferiores, ſatis imperioſus; Cumq; hominem blanditiis ſuis ad defectionem ſollicitaverit, tanqvā princeps mali in mundo cauſa & artifex id etiam impetravit, ut viribus valentior homini peccatori imperet, eumqve obſeſſum ad arbitrium voluntatis ſuæ miſerè & detorqveat & detineat 2. Tim. II. 26. Et ſi eam qvoq; mortis poteſtatem ſibi in hominem ſumere potuiſſet, ut damnationis arbitrium penes ipſum eſſet, qvis effugere, qvis erumpere ſuſtinuiſſet, aut interitum planè calamitoſum deprecari? Mors jam ipſa ſatis virium ex peccato accepit, inq; ipſa viſcera velut inteſtinus hoſtis non parum ſævit, qvantum non valebat ipſius diaboli aut conſiliis aut viribus adjuta. Et qvis malorum finis fuiſſet, ſi à diaboli etiam arbitrio ipſa mortis ſententia pependiſſet? Verùm miſericordia DEI ardentiſſima tàm laceratum, tàm fractum & proſtratum, tàm lamentabile genus humanum iterum erigere, inq; priſtinam libertatem vindicare voluit. Ecce ipſe FILIUS DEI, aſſumtâ carne, opera diaboli diſſolvit, vires ejus planè inutiles reddidit, fregit, disjecit, abſtulit. Et ne ullus iræ divinæ metus ſupereſſet, qvi animum occuparet & excruciaret, aut in judicium amplius hominem DEI juſtitia vocaret, mortem ipſe ſuam Chriſtus pro nobis interpoſuit, tanqvam reconciliati DEI teſtem longè certiſſimum & luculentiſſimum. Ita jam liberati ab omni mali poteſtate caput iterum erigere, & thronum gratiæ confidenti animo accedere poſſumus liberrimè. Si aliâ DEUS viâ per αὐθεντίαν ſcil. ſuam ad ſalutem nos reducere voluiſſet (voluit autem id nunqvam,) luctari ſubinde ani-

mius potuiſſet eum opinione juſtitiæ vindicantis, qvam novit DEO eſſe naturalem, utcunqve etiam liberaliſſimas gratiæ feciſſet promiſſiones, Itaqve ne ullus ſive ſuſpicioni ſive metui relinqueretur locus, ipſe DEUS Homo factus pœnam pro nobis peccatorum dedit exquiſitiſſimam. Quæ res cum ſit tantæ veritatis & ſalutis noſtræ, partes etiam noſtras & meditationis & æſtimationis & gaudii omnes ſibi poſtulat & occupet. Quare, *Cives optimi*, id agendum nobis jam exiſtimemus, ut nihil prius, nihil antiquius habeamus, quàm ut hujus rei memoriam recolamus diligentiſſimè, quod Filius DEI æternus propter noſtram ipſe ſalutem Homo factus & humanam noſtram naturam æternæ gloriæ participem fecerit. Ipſe Apoſtolus S. hanc gloriam tanqvam præcipuam nobis ex eô etiam deprædicat Ebr. II. 16, qvod Angelis poſtpoſitis homines aſſumſerit FILIUS DEI altiſſimus. Eramusnè cum angelis malis æqvali culpâ à Deo averſi, & in æternam perniciem præcipites facti? Qvid boni in nobis reſiduum erat præ angelis lapſis? Annon qvi ſunt naturâ filii iræ Eph. II. 3. & hoſtes DEI inimiciſſimi Rom. VIII. 7. diabolis ſunt meliores & ſanctiores? Nobis tamen contigit gratia illa, qvâ ex miſeriâ DEUS nos eripere voluit & ſemper vult clementiſſimè. Eja deprædicemus hanc bonitatem DEI laudibus & parendi ſtudiis, quantum fieri poteſt, optimis & intenſiſſimis! imitemur Angelos ſanctos, qvi propter noſtram ſalutem in lætitiam planè erant effuſi, gloriam DEO in excelſis plenis velut buccis canentes. Habemus Salvatorem per omnes ſanè partes nobis ſuccurrentem, dum ipſe ſimilitudinem noſtram in ſe omninò refert, tanqvam miſericors & fidelis Sacerdos apud DEUM perpetuò pro nobis intercedens. In hujus ergò gloriam, in hujus laudem, qvicqvid valemus, conferamus unicè, non nobis, ſed ipſi, qvi pretio nos redemit ſanè cruentiſſimo, viventes. Surgamus cum paſtoribus in campis excubias agentibus, ut poſthabitis rerum mundanarum curis, eò contendamus alacres, ubi Dominus eſt gloriæ noſter, h. e. ea, qvæ in Cœlis ſunt, meditemur & qværamus non ita rebus ſordidis, ut anteà, adhærentes. Recluſa jam eſt nobis cœli porta qvàm ſpatioſiſſimè, eja, *Cives optimi*, dum lux in tenebris adhuc fulget, concurramus eò certatim, ut ingrediamur de mundo triumfantes. Reſonet ad Celum usq; ex noſtro etiam ore Angelorum illud ſemper Canticum: *Gloria in excelſis DEO, in terra Pax & hominibus bona voluntas.*

Sub Sigillo RECTORATUS
Ano poſt CHRISTUM natum jamjam laborante
1695. d. 25. Decembr.